



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio Vltima. An existentia sit necessaria omnino ad operandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

QVÆSTIO VLTIMA.

An existentia sit necessaria omnino ad operandum.

SECTIO I.

Sententia Adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia est Thomistarum asserentium existentiam non esse necessariam ad operandum ullo modo, v. g. neque vt conditionem sine qua non, neque vt rationem formalem.

2. Probatur primo: Quia essentia habet suam actualitatem, distinctam ab existentia: ergo bene potest essentia vt sic actualis operari sine existentia. Consequenter patet, quia tota ratio propter quam ab adversariis requiritur existentia, est vt essentia sit ens in actu ad operandum; indicant enim ipsi nullam dari actualitatem præter existentiam, ratione cuius ens operatum constituitur in actu ad operandum, cum ens in potentia non possit actu operari, sed essentia ipsa entis operatiui habet suam actualitatem essentia distinctam ab existentia: ergo ad operandum ens operatum non indiget existentia. Minor hæc sic probatur, quæ etiam erit probatio antecedentis primi, nam antequam essentia habeat existentiam actu habet suam veritatem essentialem, quia hæc est vera propositio ab æterno homo actu essentialiter est animal rationale: propositiones enim æternæ veritatis immutabiles sunt, sed nihil potest esse actuale nisi ab actualitate quam habet, sicut nihil est album nisi ab albedine: sed homo actu essentialiter sine existentia est animal rationale: ergo homo habet actualitatem essentia sine existentia.

3. Secundo sic probatur, quia Sacramenta physice concurrunt ad productionem gratiæ: sed quando actu producant gratiam non existunt actu: ergo existentia non est necessaria ad operandum. Minor sic probatur, quia gratia producit in instanti in quo desinunt esse Sacramenta, & quando non sunt: sed in tali instanti non possunt existere sacramenta: ergo quando actu producit gratia non existunt Sacramenta. Hæc minor sic probatur, quia ens successuum non potest esse totum in instanti, sed Sacramenta sunt entia successiva secundum formam: ergo Sacramenta non possunt existere eo instanti quo producit gratia.

4. Tercio sic probatur, quia dispositiones producant formam genti eo instanti quo ipsæ iam non sunt: sed perierunt cum forma corrupti: ergo agens ad producendum non indiget existentia.

5. Secunda sententia asserit existentiam non quomodocumque esse necessariam à parte rei ad operandum, sed esse rationem formalem agendi. Hanc sententiam supponit vt certam Pater Hurtado in *Physicis*, disp. 8. sect. 5. §. 105. His verbis. Qui negant existentiam ab essentia distingui necessariam fatentur existentiam esse virtutem & rationem agendi; qui vero eas distinguunt asserunt essentiam esse virtutem actiuam, existentiam vero conditionem sine qua non: sic ille, cum autem ipse Pater Hurt. asserat in metaphysica existentiam neque ratione, neque realiter distingui I. P. Tom. 11.

ab essentia, necessario illi fatendum est existentiam esse virtutem, & rationem agendi. Hanc eandem sententiam docet Pater Suarez tom. 2. *Metaphysica*, disp. 31. sect. 10. num. 12. his verbis. Dico secundo, existentia materiæ, & idem proportionaliter est de forma, in re ipsa est id per quod materia causat in suo genere, secundum autem modum significandi apprehenditur vt conditio necessaria, seu vt modus constituens rem in statu sufficienti ad causandum; vbi à parte rei inquit esse rationem formalem causandi, licet per intellectum concipiatur existentia vt conditio, & non vt ratio formalis. Probat Pater Suarez his verbis.

Quia sufficienter constat ex dictis de identitate existentia, & actualis essentia; materia enim non causat nisi per entitatem actualem suam essentia; nam secundum eam est in potentia ad formam, & in ea recipit illam, sed in re essentia actualis materiæ non differt ab existentia illius: ergo realiter recipit formam in existentia sua, seu in se ipsa existente vt existens est.

Confirmatur, & declaratur quia neutra ex his causis exercet suum munus, seu causalitatem, nisi in quantum est ens actu, propterea scilicet ens actu distinguitur ab ente in potentia obiectiua, sed huiusmodi actus formaliter & intrinsece constituitur per esse existentia, vt supra probatum est: ergo vtrique ex his causis causat actum prope constituta per esse actualis existentia, illa autem constitutio est per omnimodam identitatem in re, vt ostendimus: ergo causat in quantum est essentia & existentia.

Dices materiam non causare in quantum est ens actu, sed potius in quantum est ens in potentia.

Respondetur inquit Suarez, in his vocibus, esse magnam equiuocationem, tum à potentia receptiua ad obiectiua, tum habente simpliciter, seu complete ad ens secundum quid seu partiale; materia igitur causat quatenus est in potentia receptiua formæ, & consequenter causat quatenus formam materialem continet aliquomodo, scilicet in potentia passiva, & ideo dici potest etiam esse ens simpliciter, & incompletum non in actu, sed in potentia; at vero non causat quatenus habet esse materiæ; quod est esse partiale, & secundum quid, hoc est in potentia, sed in actu, & ita non causat propterea in suo gradu est ens in potentia obiectiua, sed vt in actu, & hoc modo esse ens in actu, id est extra causas, & extra nihil, & essentia in potentia receptiua alterius actus non sunt opposita; sed potius per se subordinata, non enim potest potentia esse in proxima aptitudine, seu in statu in quo apta sit ad recipiendum suum actum, nisi ipsamet aliquid habeat actuale entitatis, cum potentia ipsa realis ens reale, & extra causas esse debeat, quæ omnia clara sunt.

Vltimo confirmatur, nam causa debet esse proportionata effectui & causalitati suæ, sed causalitas materiæ, vel formæ eo modo quo ab ea progreditur est aliquid existens extra causas, & terminatur ad rem propterea est aliquid extra causas vt supra ostensum est: ergo etiam ipsa causat vt existens est: ergo causat quatenus in re est sua existentia.

SECTIO II.

Nostri sententia ponitur.

Prima conclusio actualitas existentia est ita necessaria ad operandum actu, vt nullomodo possit causa actu operari sine actuali existentia. Hæc

F. est

est communis sententia inter Doctores Societatis.

12 Probatur primo auctoritate Aristotelis *lib. 2. Physicorum, c. 3. text. 24.* Vbi sic ait. [Præter autem omnes quæ propriè, & quæ ex accidenti dicuntur causæ aliæ sunt, quæ quid possint, aliæ quod agant dicuntur, ut ædificationis domus ædificator, aut quis ædificat ædificator: idem vero & in his quorū causæ actū causæ dicuntur cum sunt quod in his, quæ exposita sunt ut in hac statua, aut omnino signo, aut ære, aut omnino materia actū esse atque in accidentibus eodem modo.] sic ille, ubi Philosophus clarissimè nostram tueretur sententiam; ipse enim in hoc textu dividit causam in causam actū operantem, & operantem in potentia, & tribuens conditiones vniuscuiusque causæ agendo de causa in potentia nullam aliam conditionem tribuit nisi quod possit operari, agens autem de causa actū operante, ait illam esse debere actū quod patet ex illis verbis [aut quis ædificat ædificatorem: idem vero & in his quorum causæ actū causæ dicuntur cum sunt] sed esse absolute ac simpliciter actū est actualis existentia, ut patet ex late dictis. *q. 2. huius disp.* Quia esse simpliciter non predicatur de rebus quæ actū non existunt, & sic licet verè enuncietur de Perro possibili aut futuro, & præterito quod possit esse, nihilominus nullo modo potest dici cum veritate quod absolute sit, & ideo hæc sunt falsæ propositiones Adam & Antichristus sunt, & ratio est quia esse, & existere reciprocantur, sed Adam & Antichristus non existunt: ergo Adam & Antichristus non sunt, quæ veritas ipsa luce clarior & evidentior est, sed Aristoteles in loco supra citato, ait in hoc distinguere causam actū operantem à causa potentiali, seu in potentia producente quod causa actū operans absolute sit dum operatur: ergo absolute sentit Aristoteles causam actū operantem debere necessario existere: itaque nullo modo possit operari actū si actū non existat.

13 Quod confirmat idem Aristoteles paulo post adductus à Diuo Thoma *lect. 6.* his verbis [interest autem tantum, & insuper omnia aut potentia aut actū, causæ enim actū & singulares, & ea quorum sunt causæ simul sunt & non sunt ut hic, qui medetur cum hoc, qui sanat, & hic qui ædificat cum hoc quod ædificatur, sed quæ sunt potentia non semper, non enim semel domus, & ædificator corrumpuntur.] Vbi aperte Aristoteles asserit causam actū operantem debere actū esse quando producit, quod patet quia ipse Philosophus ait causam actū operantem debere esse simpliciter hoc est simpliciter existere dum producit effectus, sed dum producit effectus producit causam, & est actū operans: ergo sentit Aristoteles sine dubio causam actū operantem actū debere existere dum operatur semper, & necessario quod negat de causis in potentia illis verbis. [Sed quæ sunt potentia non.] Vergetur amplius ex ipso Aristotele *eodem cap. text. 37.* ubi omnia inquit, id est causarum genera, de quibus ibi agit aut agentia id est actū causantia, aut quæ possint agere hoc autem differunt quod quæ efficiunt, & singula atque ea quorum sunt causæ simul sunt. Vbi vult Aristoteles intereunte causa effectum petire, & effectum existentem dum primo fit causam simul existere, at instans & tempus immediate præcedens non sunt simul ex tua sententia: ergo causa non existens illo instanti non est simul cum suo effectū, quod est contra Aristotelem. Quibus verbis Aristotelis magnam vim addit Diuus Thomas super *lib. 2. Physicorum lect. 6. §. determinat. 3.* explicans mentem Philosophi his verbis. [Primum est quod inter causas in actū & causas in potentia est ista differentia,

quod causæ operantes in actū simul sunt, & non sunt cum eis quorum causæ sunt in actū: ita tamen quod accipiantur causæ singulares, id est propriæ, sicut hic medicans simul est, & non est cum hoc qui fit sanus, & hic ædificans cum hoc quod ædificatur, si vero non acciperentur causæ propriæ licet acciperentur in actū, non esset verum quod dicitur non enim ædificans est & non est simul, cum hoc quod ædificatur: potest enim esse quod ædificas est in actū, sed tamen hoc ædificium non ædificatur, sed aliud, sed si accipiamus ædificantem hoc ædificium, & hoc ædificium secundum quod est in ædificari necesse est, quod posito vno ponatur, & alterum, & remoto vno remoueatur & alterum; hoc autem non accidit semper in causis, quæ sunt in potentia; non enim simul corrumpitur domus & qui ædificabit ipsam; unde habetur quod sicut agentia inferiora quæ sunt causa rerum quantum adlunt, fieri oportet simul esse cum his quæ sunt quando sunt: ita agens diuinum quod est causa existendi in actū simul est, cum esse rei in actū, unde subtracta diuina actione à rebus, res in nihilum deciderent sicut remota presentia solis lumen in aëre deficeret.] Sic ille, quibus verbis Diuus Thomas explicans mentem Aristotelis in hoc loco asserit, necessario debere existere, & esse in actū simul effectum actū productum, & causam actū producentem, ita ut si causa actū non existat non possit effectus actū produci, ac per consequens nec causa actū producere.

Nec valet dicere Aristotelem & Diuum Thomam solum requirere existentiam virtuales, & 14 non formalem in causa, hoc est non in esse entis, sed in esse causæ.

Sed contra, quia hæc solutio manifeste pugnat cum Aristotele, & Diuo Thoma, ipsi enim ex causalitate inferunt existentiam causæ inesse entis formaliter, & ex non existentia causæ non existentiam effectus, id est ex virtuali existentia, quæ est existentia effectus inferunt existentiam formalem, id est causam, & ex negatione existentie inesse entis arguunt negationem inesse causæ.

Declaratur hoc amplius, quia existentia virtualis causæ per vos est ipsa existentia formalis effectus & causalitatis per quam producit effectus: sed Aristoteles & Diuus Thomas asserunt existentiam causæ & existentiam causalitatis, & existentiam effectus debere esse simul: ergo non loquuntur de existentia virtuali causæ. Patet hæc consequentia, quia ad similitudinem requiritur distinctio eorum in eo genere quo sunt simul, sed in sententia Philosophi, & Diui Thomæ existentia causæ & existentia effectus, & causalitatis sunt simul realiter: ergo distinguuntur realiter tales existentie in sententia horum authorum, sed ut iam dixi existentia virtualis causæ & causalitatis, & effectus non distinguuntur à parte rei: ergo non sunt simul à parte rei: ergo solum sunt simul in sententia Aristotelis & D. Thomæ secundum ea existentias, quæ inter se realiter distinguuntur, sed solum existentia formalis causæ, & existentia formalis causalitatis & effectus distinguuntur à parte rei: ergo solum secundum existentias formales debent esse simul in sententia Philosophi: ergo in sententia eiusdem existentia dum actū operatur, debet esse formalis & non virtualis.

Deinde quia ut bene ait Hurt. Hæc solutio principium perit, nam existentia formalis, & inesse entis est propriè existentia causæ, & existentia virtualis & in esse causæ est existentia causalitatis, sin minus ipse explicet terminos, at in controuersiam adducitur quo

Quest. Vlt. Vtrum existentia sit, &c. 43

quò pacto sit causalitas; & effectus actu sine actuali existentia causæ: ergo petitur principium; quod autem ea quæ sunt simul à parte rei debeant distinguui patet clarissime; quia simultas est duorum, vel plurium convenientia in vnum, itavt si simultas sit in loco sit convenientia duorum existentium in eodem loco, & simultas in tempore est coexistentia duorum; & convenientia duorum in eadem duratione, & ideo ridiculum esset dicere Petrum, & eundem Petrum esse simul in eodem tempore, idem enim secum ipso non potest esse simul, quare simultas necessario & evidenter pluralitates petit.

SECTIO III.

Rationibus probatur conclusio.

16 **P**rimo si causa potest operari illo instanti quo non existit, etiam poterit operari causa quæ nunquam existit, & quæ exitura est, sed causa quæ exitura est, & nondum existit non potest operari: ergo neque causa quæ non existit etiamsi existerit immediate ante. Probatur maior, ideo causa quæ nondum existit non potest operari quia absolute non est ens eo instanti quo non existit, sed causa quæ existit eo instanti quo non existit absolute non est ens: ergo non poterit operari: maior est ratio à priori. Quare res quæ non existit non potest operari, vel assignent aliam Aduersarij. Minor est evidens, quia res eo instanti quo non existit solum est possibilis, & tantum potest habere denominationem extrinsecam ab existentia præterita quæ tunc nihil est, sicut res futura est possibilis, & habet etiam denominationem extrinsecam ab existentia futura; sed res possibilis absolute non est ens: ergo res quæ non existit licet existerit non poterit operari.

17 Dices quod tunc causa licet non sit in ratione entis, est tamen in ratione causæ; sed contra primo: ergo causa non solum in illo primo instanti in quo non est potest operari: sed etiam in aliis instantibus sequentibus; patet consequentia, vt operetur causa sufficere vt existat in ratione causæ, sed in aliis instantibus existit in ratione causæ: ergo in illis poterit operari. Maior est certa, probatur minor, existere causam in ratione causæ est quod existat eius effectus, sed effectus causæ non solum existit in illo instanti, sed etiam in sequentibus: ergo etiam in sequentibus existit causa in ratione causæ: ergo operatur: ergo poterit conferuare effectum: ergo lucerna non existens poterit conferuare lucem; quod est contra experientiam; ideo enim non conferuat, quia tunc non existit in ratione entis, & ideo non existit in ratione causæ. Contra secundo: ergo etiam res quæ nondum fuit, poterit operari & loquor de re in vltimo sui non esse: ideo res corrupta potest operari quando non est; quia eius existentia est contigua cum existentia effectus: sed existentia rei nondum existentis est etiam contigua cum existentia effectus; ergo etiam poterit operari illum effectum. Maior est aduersariorum sententia: minor est evidens, & demus quod ignis v.g. non sit in hoc instanti, & sit in hoc instanti calor productus ab illo, & ignis sit in tempore immediate sequenti, inter existentias caloris & ignis, non mediat instans, nec tempus aliquod: ergo sunt contiguæ existentia causæ, & effectus: ergo poterit causa operari, quandoquidem datur eadem ratio; nam quod duo corpora contiguntur per vnā partem, vel per per aliam non impediunt operationem: ergo similiter quod causa & effectus contiguntur per initium, vel finem causæ eadem erit ratio, & sequetur eadem operatio.

1. P. Tom. 11.

Confirmatur, si causa efficiens iam corrupta potest physice causare: ergo & homo mortuus potest videre in eo instanti in quo non est. Probatur consequentia, homo est causa actiua sui visus, sed causa per vos potest operari in eo instanti in quo non est: ergo homo poterit operari in eo instanti in quo non est, & per consequens videre quod est ridiculum.

Ex quo inferunt Hurr. absurdum magnum in Theologia quod mortuus in gratia possit condemnari, sed hoc est absurdum: ergo illud ex quo sequitur. Probatur maior: si quis repente moriatur habens perfectam libertatem ad peccandum: ergo in instanti quando non est potest producere actum peccaminosum. Probatur consequentia, quia causa actiua non existens per te potest operari: ergo illa causa libera tunc poterit operari aliquid contra legem diuinam: ergo poterit peccare, quia peccare est operari libere contra legem diuinam; supponamus ergo; quod homo ille vsque ad mortem esset in gratia: ergo homo discedens in gratia condemnabitur, quod est contra fidem. Probatur consequentia; anima illius hominis per peccatum amisit gratiam; sed anima adulti sine gratia post mortem necessario condemnabitur: ergo anima illa condemnabitur: ergo homo discedens in gratia poterit condemnari.

Dices vt detur peccatum necessario requiri quod voluntas operetur per appetitum, appetitus autem cum sit potentia vitalis includit penitentiam actiuam & passiuam; potentia autem positiua non potest operari quando non est; atque adeo appetitus non potest operari dum non est.

Sed contra primo, ideo non potest operari potentia passiuam cum non existit quia est causa realis & physica: ergo similiter non potest operari quando non est; antecedens est certum, vel dicant aduersarij quare materialis causa non potest operari dum non existit; non enim minus dependet actio ab agente quā passio à patiente: ergo si passio non potest esse à patiente quod non existit, neque actio ab agente quod non existit, & ratio est manifesta quia omnis actus secundus simpliciter præsupponit actum primum simpliciter; alius actus secundus simpliciter accipere est simpliciter ab actu primo secundum quid, & ab actu qui non est simpliciter, ac proinde non habet esse simpliciter, sed hoc est falsum quia nemo dat quod non habet, sed actus primus secundum quid non habet esse simpliciter: ergo non potest causare esse simpliciter effectus; vnde vt causet tale esse debet esse actus primus simpliciter, itaque actus secundus simpliciter præsupponit actum primum simpliciter, sed actio & effectus existens est actus secundus simpliciter: ergo supponit actum primum existentem, quia existentia constituit rem in esse entis simpliciter, vt patet ex iam dictis supra, nam essentia mere possibilis qualis est essentia rei non existens absolute non est ens simpliciter, ac proinde nec actus secundus, nec primus simpliciter, quia tam actus secundus quam actus primus simpliciter sunt entia simpliciter.

Contra secundo: ergo materia prima corrupta poterit esse causa materialis formæ, quod est absurdum, quodque negant aduersarij: ergo, &c. Probatur prima consequentia efficaciter, vt aliqua causa operetur sufficit quod existat in ratione causæ, sed tunc materia prima existit in ratione causæ; imo existit formaliter in se ipsa materia prima: ergo potest esse causa; probatur minor. Tunc propriè, & formaliter existit materia prima quando datur existentia illius: sed tunc datur existentia illius: ergo existit propriè. Maior est

est certa, probatur minor, existentia materiae in sententia aduersariorum est sola existentia formae v. g. rationalis: sed tunc daretur existentia formae rationalis: ergo tunc daretur existentia materiae: ergo tunc materia haberet propriam existentiam, & sic causaret formam.

23 Deinde sequeretur quod si aqua calefieret ab igne, qui esset agens fortius, quam esset aqua in resistentia, nunquam posset aqua reduci ad pristinam frigiditatem etiam amoto igne, sed hoc est contra ipsam experientiam: ergo agens non existens non potest operari. Probatur sequela, quando datur eadem causa idem debet dari effectus, sed tunc datur eadem causa respectu aquae qui est ignis: ergo debet dari idem effectus in aqua, scilicet idem calor.

24 Vltimo vigetur, quia existentia causae ut talis est distincta realiter ab existentia effectus: ergo existentia effectus non est existentia causae. Antecedens est manifestum primo, quia essentia, & existentia, ut late supra probauimus, non distinguuntur realiter, sed essentia causae distinguitur realiter ab essentia effectus: ergo existentia causae, & existentia effectus distinguuntur realiter. Secundo sumo Deum quatenus est causa rerum existentia Dei est Deus, & ideo à se & independens: sed omnis existentia effectus est creatura & dependens essentialiter à Deo: ergo existentia causae ut talis non est existentia effectus. Maior est euidens, quia si existentia Dei ut est causa non esset independens, Deus ut est causa esset creatura quod absurdissimum est: minor etiam est euidens: ergo existentia Dei quatenus est causa est distincta ab existentia effectus, & ratio generalis tam in Deo quam in aliis causis creatis est, quia existentia causae potest separari ab existentia effectus: ergo etiam existit effectus dum tamen non existit causa per propriam existentiam absolute non existit causa per propriam existentiam absolute non erit ens: ergo absolute non poterit producere. Patet vltima consequentia, illud quod absolute non est ens, non potest producere absolute physice & realiter: sed causa non existens absolute non est ens: ergo non poterit producere absolute, physice & realiter.

25 Secundo principaliter, quia causalitas & effectus accipiunt esse & existentiam à causa actu: ergo causa debet esse & existere simpliciter: antecedens est euidens, quia effectus producit à causa, & causalitas emanat ab ipsa cum dependeat ab eadem causa, sed id quod producit & emanat ab aliquo accipit esse ab illo: ergo effectus, & causalitas accipiunt esse à causa: consequentia prima sic probatur, quia si causa non haberet esse simpliciter, & actu existeret, non posset tribuere esse causalitati & effectui, ac per consequens causalitas, & effectus non possent accipere esse & existere à causa: ergo ad hoc ut causalitas, & effectus accipiant esse, & existere à causa, debet causa actu esse, & existere: sequela antecedentis sic probatur ex illo axioma ab omnibus recepto, nemo dat quod non habet aliquomodo in actu: ergo si causa realis actu non haberet esse, & existere, non potest dare esse, & existere causalitati, & effectui, ac per consequens, nec causalitas & effectus possunt accipere esse, & existere à causa.

26 Dices causam habere virtualem existentiam, licet non habeat formalem, quod sufficit ad hoc ut causa tribuat existentiam effectui, v. g. Sol tribuit esse auro, non ex eo quod contineat esse auti formaliter, sed solum virtualiter.

27 Sed contra primo, quia hic loquimur de causa principali effectus, atqui omnis causa principalis continet entitatem effectus, non solum virtualiter,

sed vel formaliter, vel eminenter, ita ut si fuerit causa vniuoca contineat formaliter illam; si autem fuerit causa aequiuoca, contineat eminenter, atqui causa, quae actu non existit, non continet, nec eminenter, nec formaliter existentiam, & esse simpliciter causalitatis, & effectus: ergo non potest actu tribuere esse simpliciter & actualem existentiam ut actu causa principalis effectui, & causalitati: ergo nullo modo est causa illorum actu; quod autem omnis causa principalis contineat vel eminenter, vel formaliter esse quod tribuit effectui, patet euidenter ex Philosophia, quia omnis causa principalis, aut est vniuoca, aut aequiuoca, aut eminenter, vel formaliter continens effectum.

Probatur nunc, quod causa, quae actu non existit non possit continere esse, & existentiam effectus, aut formaliter, aut eminenter; de continentia formali euidens est & ab aduersariis asseritur, & ideo dicunt ipsi tunc causam non formaliter existere, sed virtualiter de continentia eminenti patet euidentius, quia id continet eminenti aliud, quod perfectiori modo, quam in se est continet illud, sed causa illa quae actu non existit formaliter non potest perfectiori modo continere existentiam formalem, quam in se est, quia melior modus continendi existentiam est existendo formaliter, & ideo Deo concedimus existentiam formalem esse de essentia ipsius Dei, ita ut nullo modo possit esse sine existentia formali, quod adeo verum est ut si per impossibile Deus defineret existere formaliter, licet existeret virtualiter non esset Deus, sed defineret esse talis. Vnde ex absentia existentiae formalis, licet daretur existentia virtualis, ut vos dicitis, defineret Deus habere omnem suam perfectionem, quod etiam patet in omnibus rebus distinctis à Deo; nam Angelus, quia perfectior est omni ente corporeo, ita haberet existentiam formalem naturaliter, ut sine illa non posset naturaliter esse, nec posset illa naturaliter, & sine miraculo priuari: ergo modus continendi existentiam formalem & formaliter illam est perfectior modus continendi existentiam virtualem: ergo existentia formali non potest eminentiori modo contineri in existentia virtuali, quae à vobis fingitur, quia in eo casu existentia virtualis esset perfectior existentia formali; ratio autem à priori est, quia creatura dum existit virtualiter & non formaliter in se absolute non existit; sed solum dicitur existere virtualiter, quia causalitas illius aut effectus existit, vnde talis causa considerata secundum se, & in se, & quatenus distinguitur à causalitate & effectui, solum est in statu purae possibilitatis, qui status infert negatiuam existentiam, sed in negatiua existentia non continetur eminenter positua, & formalis existentia cum hac ex se sit perfectior illa positua enim in omnium sententia perfectior est negatiua: ex quibus euidenter colligitur in causa virtualiter existentem non posse contineri eminenti effectus, & causalitas continentes formalem existentiam.

Confirmatur, quia id quod non est entitas positua non potest tribuere esse posituum effectui, sed causa virtualiter existens non habet esse posituum cum solum sit in statu purae possibilitatis, qui negatiua ratio est, ut patet ex dictis tract. de possibil. etia causa virtualiter existens non potest producere effectum posituum actu, & formaliter existentem, nec communicare esse posituum illi, quod habet, ac proinde nec poterit esse principium, à quo emanet positua illa causalitas.

Vigetur, & declaratur amplius, quia aduersarij 19 interrogati, quare causa, quae actu non existit formaliter

maliter possit operari effectum actu existentem, præcipue cum existentia causa debeat antecedere existentiam effectus.

30 Respondent dicendo sufficere ut præcedat existentia virtualis causæ, quæ nihil aliud esse aiunt, nisi causalitatem ipsius causæ, ego autem sic virgeo eos, & non loquor de effectu, sed solum de ipsa causalitate, seu actione; nam ipsa causalitas, seu actio quæ virtualis existentia est, vocatur ab aduersariis est positua entitas actu, & formaliter existens; item est effectus; ut quo ipse causæ, quia dimanant ab ipsa causâ, & esse qualecumque, quod habet accipit ab ipsa, & ante illam causalitatem, nec formaliter nec virtualiter existit causa formaliter ut ipsi aduersarij asserunt, virtualiter quia tota virtualis existentia est ipsa causalitas, quare ante causalitatem non existit virtualiter sicut ante existentiam formalem, nullo modo potest existere formaliter; sed id quod nullo modo existit, nec formaliter, nec virtualiter, & id quod nullo modo est positua entitas nec virtualiter, nec formaliter potest esse principiu, à quo accipiat esse entitas actu existens, nec potest esse causâ, à qua dimanet entitas absolute positua, ut patet ex illo principio supra allato, nemo dat quod non habet, nec comunicat aliquid alicui effectui id esse quod nullo modo continet: ergo causâ, quæ actu non existit, non potest esse principium à quo emanet causalitas illius, quæ positua ratio, & formaliter existens est, ac proinde causâ, quæ actu non existit formaliter, nullo modo poterit existere virtualiter, quia si existeret virtualiter deberet esse per causalitatem dimanantem à causâ, quæ actu non existit, nam in sententia aduersariorum virtualis existentia nihil aliud est, nisi causalitas ipsius causæ, sed talis causalitas non potest dimanare à causâ non existente actu formaliter, dum actu & formaliter non existit: ergo dum causâ actu & formaliter non existit, non poterit existere virtualiter, ex quo euidenter sequetur nullum posse effectum producere talem causam; nam omnis effectus, ut quod producitur necessario per causalitatem, tanquam per rationem formalem producendi illud; item quia effectus non potest produci à causâ nisi virtualiter aut formaliter existat talis causâ, sed causâ prope sic nec formaliter, nec virtualiter existit: ergo non potest producere effectum.

31 Secundo contra illam solutionem aduersariorum sic argumentor, quia falsum est fundamentum cui innititur contrariorum solutio; nam existere virtualiter, in proprietate nihil aliud est, quam existere, seu contineri in virtute; à virtute enim in qua aliquid continetur virtualiter existere dicitur, sicut enim calor dicitur virtualiter existere in pipete, quia in pipete datur virtus in qua continetur talis calor, & idem est de calore respectu lucis in qua dicitur calor existere virtualiter, quia lux est virtus in qua continetur calor. Item virtualiter dicitur aliquid existere quando existit virtus illius, verbi gratia, sol dicitur virtualiter existere in visceribus terræ, licet ipse sol secundum suam entitatem non existat ibi, quia in visceribus terræ ad producenda metalla existunt lux, & reliquæ influentiæ, quæ sunt virtutes solis; item licet homo moriatur, & non existat formaliter, dicitur virtualiter existere in matrice foemina, quia existit semen ibi decissum ab homine, quæ est virtus seminalis ipsius ad generandum filium, sed actio, & causalitas agentis, nec est virtus in qua continetur causâ ipsa, nec est virtus decissa ab ipsa causâ, sed est actus secundus, qui debet necessario provenire ab actu primo, seu virtute: ergo ex eo quod talis causalitas exi-

stat, non potest dici proprie existere virtualiter ipsa causâ.

Secundo principaliter sic argumentor, quia actio 32 seu causalitas agens, est modus agentis, & modus termini; sed modus, non potest omnino separari à re cuius est modus: ergo causalitas, seu actio non potest omnimoda separatè separari ab agente: maior est evidens ex ipsiusque terminis patet; minor autem est clarissima, quia in hoc distinguitur modus à re, quod res potest separari ab alia, saltem diuinitus, ut videre est in accidentibus Eucharistiæ, quæ diuinitus separantur à substantia panis etiam si naturaliter non possint separari ab illa propter mutuum connectionem cum illa substantia: ergo modus, qui essentialiter distinguitur à rebus debet necessario habere respectu illarum aliquam inseparabilitatē etiam diuinitus. Consequentia autem illa evidens est, quibus præmissis sic argumentor: Si causalitas & actio existerent actu formaliter, non existente actu formaliter causæ separarentur omnimodè à re, cuiusmodi sunt, & sic essent modi, & non modi causæ; essent modi, quia iam supponimus, non essent modi, quia separarentur omnimodè, à re cuius sunt modi, sed non possunt omnino separari, ut probauimus: ergo non existente actu formaliter causâ non possunt existere actu causalitas, & actio causæ. Maior illa, quoad primam partem sic probatur, quia separatio duplex tantum datur; alia intrinseca, alia extrinseca; intrinseca separatio est, quando id quod debebat intrinsece esse in aliquo, est extra illud realiter, verbi gratia, si conseruata substantia panis existerent extra illam causaliter accidentia illius, quæ naturaliter deberent intrinsece inherere ipsi; hæc autem separatio non potest conuenire actioni seu causalitati respectu causæ, non quia absolute non sit separata causalitas à causâ, sed quia nunquam debebat existere intrinsece causalitas in agente; si autem loquamur secundum sententiam aduersariorum, hæc etiam separatio conuenit causalitati respectu causæ, & agentis, nam ipsi asserunt debere esse intrinsece in agente & non in passo si agens actu existeret; at non existente tali agente est extra illud agens realiter, quia existit realiter talis causalitas: ergo separatur intrinsece ab agente; separatio autem extrinseca est quia res diuiditur ab alia penes locum, ita ut ambæ rationes non existant in eodem loco, sed existente causalitate, & non existente causâ non existunt causâ, & causalitas in eodem loco: ergo separantur extrinsece realiter. Deinde, alia separatio datur, quæ maxima omnium separationum est, verbi gratia, separatio in duratione, & quæ per destructionem vnius dicitur, scilicet quando destructo vno extremo, & alterum manet; sed hæc etiam separatio conuenit causalitati, vel actioni respectu agentis, & causæ, nam destructa causâ asserunt aduersarij manere causalitatem illius: ergo omnis separatio realis conuenit causalitati respectu causæ intrinsece scilicet, & omnium maxima, ita ut omnibus modis separaretur causalitas ab agente: ergo nullo modo potest esse causalitas modus agentis, quia si illa esset modus haberet aliquā inseparationem respectu causæ, nam si esset modus extrinsecus haberet inseparationem extrinsecam; ita ut in eodem loco essent causalitas, & causâ ratione cuius ego assero nec per potentiam Dei absolutam posse agere causam ubi non est, & si esset modus intrinsecus haberet inseparationem intrinsecam; & ideo nec per potentiam Dei absolutam potest substantia in mea sententia existere extra substantiam, quia substantia est modus intrinsecus substantiæ, imo si aliquomodo haberet rationem

modi, deberet necessario saltem habere omnium maximam inseparationem, oppositam separationi maximæ, ita ut non existeret causalitas existente causa; cum vero nullam habeat inseparationem, sed omnibus modis, ut iam dixi separatur realiter à causa, sequitur necessario ut nulla ratione sit modus causæ, atqui sine dubio in sententia aduersariorum, imo in omnium sententia, causalitas, seu actio agentis est modus illius: ergo non potest maxime separari ad illo, ita ut existat causalitas non existente causa, quia alias nullum daretur indicium ad distinguendum modum à rebus; hæc enim argumentatio adeo certa & euidentis mihi videtur, ut mihi persuadeam nullo modo posse apprehendi quomodo existat agendo agens, quod non existit in se, quia existere agens supra existentiam addit actum, sed tunc nulla est existentia: ergo supra illam nulla potest addi actio.

33 Confirmatur hoc argumentum ex Mendosa, quia actio est actus secundus agentis: ergo oritur ab actu primo, quia omnis actus secundus oritur à primo: ergo tunc debet esse actus primus, à quo oriatur, nam si non est actus non est actus primus: sed in instanti quo vere dicitur nunc non est causa non est actus primus, à quo oriatur secundus: ergo in eo instanti non oritur actio à causa.

34 Dices tunc esse causam non in actu sed in potentia.

35 Contra, non est in actu: ergo simpliciter non est actus primus: probo consequentiam, quia actus simpliciter est per existentiam sine qua nihil est actu, sed in potentia tantum; sed actio actu existens est simpliciter actus secundus: ergo oritur ab actu primo simpliciter; nam illa actualitas simpliciter actionis oriri debet physicè ab ente simpliciter, non à simpliciter non ente, quale est non existens, quo pacto datur physicè existentia & entitas simpliciter?

36 Dices actum secundum oriri à primo existente prius non tamen existente tunc.

37 Contra: ergo quia tunc est actus secundus à pura potentia logica, siue non repugnantia, quia tunc causa non est in actu existendi, sed in potentia tantum, & ut in potentia operatur: ergo ens in actu sic physicè à non ente in actu, quod qua ratione capiant ipsi viderint, ac poterit unusquisque pro suo arbitratu asserere rem antequam existat, saltem immediate antequam existat operari, respondereque poterit quod ipsi in hos quadrat sapiens Aristotelis sententia, primo Physicorum, capite 5. textu 6. ostendere vero ea inquit, qua manifesta sunt per ea, quæ non sunt manifesta hominis est profecto, qui nequit id, quod est per se notum, & id quod non est per se notum discurrere: cum ergo hæc sententia sit per se nota, non potest nisi ex terminorum apprehensione probari.

38 Vergetur amplius, quia id quod non est intellectuum non potest elicere intellectum, & quod non est volituum non potest elicere volitionem, sicut quod non est substantia non potest propria virtute producere illam: ergo à fortiori quod non est, non potest producere id quod est, & quod non est posituum, non potest producere id quod entitatem posituum habet, quia maior distantia, & impropositio datur inter id quod non est, & id quod est, & id quod est posituum, & non est posituum, quam inter non intellectum, & intellectum, inter non volituum, & volitionem, quia id quod non est intellectum, aut volituum potest esse accidens, vel substantia ratione cuius potest habere aliquam convenientiam realem in ratione entitatis,

vnitatis, veritatis, & bonitatis, quæ sunt prædicata communia, quæ de non intellectu, & intellectu ne possunt prædicari, at vero id quod non est, & non est posituum nullo modo potest convenire in aliqua ratione superiori, cum eo quod est posituum, ac proinde nullam potest habere proportionem cum illo, sicut potest habere non intellectum, & intellectum, sed causa, quæ actu non existit simpliciter non est ens posituum; imò nec est, & causalitas, & effectus, qui actu existunt, sunt simpliciter entia positua: ergo causa quæ actu non existit, non potest actu elicere actionem, nec producere effectum.

Tertio principaliter sic probatur, quia actio est³⁹ relatio transcendentalis, quæ petit terminum actu existentem; nam secundo, est relatio transcendentalis, alia, quæ petit terminum solum in potentia, ut est intellectio, & habitus seu potentia, relatio materię primæ ad formam, relatio formæ ad materiam, alia autem est relatio transcendentalis, quæ petit terminum actu existentem, sine quo ut sic non potest dari talis relatio, verbi gratia, vni substantialis, vel accidentalis est relatio transcendentalis, quæ petit terminos, quos vnit actu existentes, & idem est de relatione transcendentali, quæ datur in præsentia, seu vbi respectu rei præsentis, sed actio est relatio transcendentalis, non primi generis, sed secundi: ergo petit terminum ad quem refertur, vel ad quem ordinatur actu existentem. Minor, & consequentia sic probatur, quia terminus productus per actionem & terminus ad quem refertur ipsa actio petit necessario actu existere, si actu existat actio, quod adeo verum est, ut etiam nec per potentiam Dei absolutam possit actu existere actio, non existendo actu terminus illius, actio enim non producit in potentia terminum, sed actu producit existentem: ergo actio, quæ est relatio transcendentalis petit terminum ad quem ordinatur actu existentem.

Sed etiam agens seu causa est terminus ad quem⁴⁰ ordinatur, & quem essentialiter respicit actio: ergo debet necessario actu, & formaliter existere quando actu, & formaliter existit actio: hæc minor probatur, quia actio est dependentia essentialiter, à causa, sed dependentia, quæ essentialiter talis est, est ordo, seu relatio transcendentalis, & essentialiter habens pro termino id à quo dependet: ergo actio seu causalitas habet pro termino causam efficientem, seu agentem: ergo actio; maior sic probatur, quia actio, seu causalitas, non est res faciens, neque res facta, seu terminus causalitatis efficientis, neque sunt illæ duæ res simul sumptæ, neque denominatio orta, ex coexistentia illarum, sed est aliquid aliud medium inter illas, hoc autem nihil aliud excogitari potest, nisi dependentia effectus à causa efficiente vel agente: ergo actio, seu causalitas est dependentia ab agente: probatur minor, quia siue hæc dependentia impossibile est intelligere in vna istarum rerum rationem effectus, & in alia rationem cause agentis; posita autem hac dependentia, & præcisa omni alia re, aut modo reali necessario res dependens est effecta, & illa à qua dependet est actu agens: ergo actio nihil aliud est essentialiter, quam dependentia ab agente.

Et confirmatur, nam omnis effectus pendet à sua⁴¹ causa per causalitatem ipsius causæ: ergo effectus causæ efficientis dependet ab illa per causalitatem efficientis, sed causalitas huius causæ non est aliud, quam actio, ut in physicis ostensum est: ergo actio essentialiter est dependentia ab agente.

Dices dependentia oritur ex actione; ideo enim⁴² effectus

effectus pender quia sit: ergo non potest actio esse ipsa dependentia, sed aliquid prius illa.

43 Sed contra, quia falsum est dicere dependentiam oriri ex actione, potius dicendum est esse ipsammet actionem, unde illa causalis non est reducenda ad efficientem causam, sed potius ad formalem, id est, cum dicitur dependere quia sit, non est sensus quia dependentia manat ab actione, sed quia per ipsam actionem constituitur ratio agentis, minor illa principia sic probatur, quia illa, quae essentialiter est dependentia ab aliquo terminatur in illo à quo est dependentia, sed id in quo terminatur aliquid est terminus illius: ergo actio, quae dependentia est ab agente, terminatur in ipso: ergo agens est terminus illius essentialiter. Deinde, quia actio, quae dependentia est nullo modo potest concipi nec esse sine agente: sicut nullo modo potest esse, nec concipi sine termino producto per illam, & sine effectu, qui dependet ab agente, sed quia illa relatio transcendentalis dependentiae non potest concipi sine termino producto, dicitur terminari ad talem terminum essentialiter, habereque illum pro termino essentialiter: sed similiter talis dependentia non potest concipi, nec esse sine agente: ergo agens est terminus talis relationis dependentiae.

44 Praeterea, quia dependentia non est ad se, sed ad aliud, dependentia enim non est respectu sui, & ideo necessario dependentia in sua definitione includit duo distincta à se, scilicet & id quod dependet, & id à quo dependet; unde in communi omnium sententia non est ita absoluta entitas dependentia, ut praecindat ab ordine ad aliud, sed id quod non est in ordine ad se, sed in ordine ad aliud essentialiter est relatio ad illud, ut patet ex definitione relationis, videlicet, (cuius totum suum esse est ad aliud), ita ut illud in ordine ad quod est sit terminus essentialis illius, eo pacto ut si vnum solum fuerit, in ordine ad quod sit, habeat vnum solum terminum talis relationis transcendentalis, si autem duo habeat duos terminos, verbi gratia, relatio materiae primae caeli in sententia multorum respiciat solum vnum terminum, verbi gratia, illam formam caelestem, & relatio transcendentalis illius formae respiciat vnum terminum, scilicet illam materiam primam caelestem, relatio autem transcendentalis, quae est vno substantialis inter materiam caelestem, & formam caelestem, respicit duos terminos, scilicet materiam & formam. quas vnit: ergo dependentia, quae actio est cum essentialiter sit in ordine ad agens, & ad terminum productum, necessario debet esse relatio transcendentalis, tam ad terminum productum, quam ad agens.

45 Confirmatur, quia actio ut actio, dicitur egressum, vel progressionem ab agente: ergo actio, ut actio, seu causalitas non potest concipi sine respectu ad agens: ergo signum est intrinsece dicere respectum ad agens: praeterea actio, ut actio denominat agens actu tale denominatione reali, orta ex ipsis rebus, & non propter realem unionem ad ipsum agens, ut infra ostendimus, quia alias non esset illa denominatio extrinseca, sed intrinseca: ergo saltem propter habitudinem realem actionis ad agens, denique quia iam supra ostendimus actionem dependere ab agente essentialiter certum est, & non per aliam dependentiam à se distinctam, alias procederetur in infinita, & ad vnam rationem formalem daretur alia: ergo per seipsam intrinsece dependet, sed non potest tam intrinseca dependentia consistere sine reali habitudine actionis ad agens: ergo includitur hic

respectus transcendentalis in essentiali respectu actionis, ut sic in ordine ad agens.

Confirmatur tota haec ratio principalis, quia actio 46 est ratio fundandi, vel ratio formalis media qua resultat in effectu relatio praedicamentalis secundi generis ad causam efficientem, seu agentem talis effectus, sed omnis relatio praedicamentalis perit terminum actu existentem: ergo causa efficiens, quae est terminus relationis talis effectus debet actu existere quando media actione seu causalitate resultat talis relatio praedicamentalis in effectu, alias non resisteret illa relatio, quia relatio praedicamentalis non resultat nisi politis termino, & fundamento illius, atque illa relatio praedicamentalis effectus ad causam tunc resultat in effectu, quando producit effectus à causa, & tunc producit effectus à causa quando actu, & formaliter existit actio, seu causalitas agentis: ergo tunc causa actu existit, ita ut si non actu existeret, nec daretur relatio effectus ad causam, nec causalitas agentis ad producendum effectum.

Vigetur amplius ac declaratur, quia aliquando 47 datur actio causae efficientis, hoc est quando causa operatur actu non existeret, daretur relatio sine suo termino, vel terminus relationis non distingueretur à subiecto relationis, sed implicat dari relationem praedicamentalem, de qua loquimur, sine suo termino. ut probatum est in logica: ergo causa non existens non potest actu operari. Probatur maior. Tunc datur relatio praedicamentalis causae & effectus quando existit effectus productus & causa in ratione causae, sed tunc illa omnia dantur: ergo datur relatio sine suo termino. Maior est certissima, quia etiam si datur causa, si non datur in ratione causae, non est terminus relationis effectus, ut verbi gratia, quando Pater meus erat antequam me produceret, non erat subiectum relationis, quia non existeret in ratione causae, vel relatio effectus ad causam terminaretur ad entitatem causae formaliter vel reduplicative, vel ad entitatem causae materialiter & specificative: sed si terminaretur ad entitatem causae materialiter & specificative, relatio existeret sine termino: ergo si causa non existens posset operari, daretur relatio sine termino, vel terminus relationis non distingueretur à fundamento seu subiecto ipsius relationis: maior procedit à sufficiente enumeratione terminorum, quos potest habere relatio. Probatur minor quantum ad priorem partem: entitas causae in ratione causae est ipse effectus secundum aduersarios, ita ut non distinguatur ab ipso effectu: sed relatio effectus terminatur ad entitatem causae in ratione causae: ergo terminaretur ad entitatem ipsius effectus, sed entitas effectus non distinguitur à subiecto illius relationis: ergo iam terminus & subiectum relationis non distinguerentur. Probatur eadem minor quantum ad posteriorem partem, tunc non existit entitas causae specificative: ergo si relatio effectus terminaretur ad entitatem causae, specificative sumpta daretur relatio sine termino.

Dices relationem esse modum termini, atque 48 ideo non solum requirere causam existentem in ratione causae, sed etiam in ratione entis.

Sed contra, actio est modus causae: ergo etiam requirit 49 causam existentem in ratione entis: antecedens est euidens & conceditur ab aduersariis, & ratio est manifesta, nam ille est modus qui ita est determinatio vnius rei, ut adhuc de potentia Dei absoluta non possit esse sine subiecto determinante, sed ita se habet

actio

actio quæ per se ipsam determinat agens & non est indifferens, ut potius sit actio huius agentis quam alterius: ergo actio est modus causæ: ergo non potest existere quando non existit causa: ergo causa non potest operari quando non est. Patet consequentia, causa non potest operari quando non potest esse actio; sed actio non potest esse quando non existit agens & causa: ergo de primo ad ultimum causa non potest operari quando non existit, & si semel ponatur, quod modus potest existere aliquo instanti sine re quam modificat, etiam poterit esse per multum temporis, & sic causa quocumque tempore quo non existit, poterit operari, quandoquidem habet virtutem eandem, vel potius eodem modo causaret virtute, ac in primo instanti in quo non est: quod quis non videt esse absurdum.

50 Deinde quia relatio effectus ad causam est relatio mutua: ergo quando resultat relatio effectus ad causam in effectu, resultat etiam relatio causæ ad effectum in causa: sed relatio realis non potest resultare in causa actu, nisi causa actu existat, relatio enim est modus intrinsecus causæ, aut est idem cum ipsa causa, sed modus intrinsecus rei, non potest actu existere, si non existat res cuius est modus, alias modus intrinsecus separaretur à re cuius est maxima omnium separatione, & sic esset modus realis, & non modus realis: ergo quando resultat relatio causæ ad effectum, ipsa causa in qua resultat, debet actu existere: sed tunc resultat, quando actu datur actio productiva effectus: ergo tunc causa actu existit necessario quando actu datur causalitas ipsius, & quando causa actu producit effectus, ita ut nullo modo possit causa actu producere, & agere, quin actu existat.

51 4. Principaliter, sic probatur, quia omne prædicatum accidentale siue Metaphysice, siue physice tale, si actu verificatur de subiecto, debet necessario supponere in tali subiecto actualem existentiam, id est subiectum, de quo prædicatur vere actu aliquod prædicatum accidentale, debet actu existere dum verificatur tale prædicatum, de ipso; sed quando producitur effectus, verificatur actu de causa efficiente prædicatum aliquod accidentale Metaphysicum: ergo quando actu producitur effectus, causa efficiens actu, & formaliter existit: maior propositio est evidens quam sub aliis terminis vniuersæ scholæ philosophorum admittit, sub his nimirum, quod omnis propositio de secundo adiacente supponit veritatem propositionis de primo adiacente, & ideo hæc est vera propositio: Petrus est beatus: ergo est. Petrus est miser: ergo est. Petrus est infirmus, seu sanus: ergo est; id est, Petrus habet miseriam, & beatitudinem, salutem, & infirmitatem: ergo existit Petrus dum habet illa accidentia, & dum talia prædicata accidentalia, actu de illo verificantur; Petrus enim est, id est existit, est propositio de primo adiacente. Petrus autem est miser, seu beatus est propositio de secundo adiacente, & ideo Petrus est miser, seu beatus, verificatur de Petro, quando verificatur de illo quod existat actu & formaliter, quomodo enim beatus, infirmus, aut miser potest esse Petrus qui non est, & qui non existit: quam doctrinam etiam recipiunt vniuersi Iurisperiti dum illud axioma celeberrimum apud ipsos proferunt videlicet, non entis nullæ sunt qualitates, id est illud, quod non est, nullum accidens potest habere; omne enim accidens sub nomine qualitatis comprehendunt; minor illa prima sic probatur, causa efficiens & actu operans, est actu producens, efficiens, seu agens effectum, hæc enim pro-

positiones sunt de secundo adiacente, seu de prædicato accidentali Metaphysico: sed quando actu producitur effectus, verificantur hæc propositiones de causa efficiente; ut de se euidenter patet; nam secundum euidentissimum axioma Metaphysicum, quidquid producitur, non à se, sed ab alio producitur; hoc est aliud distinctum ab effectu producit illud, cum autem non sit aliud quod producat effectum, nisi causa efficiens, seu agens, euidentissime sequitur quod dum producitur effectus causa efficiens producat illum, hoc est sit producens agens, &c. illius: ergo quando producitur effectus verificatur de causa efficiente prædicatum aliquod accidentale Metaphysicum, seu propositio de secundo adiacente: maior hæc patet euidenter, quia actio seu agere, & agens esse, producere, vel producere esse sunt prædicata de prædicamento actionis: sed prædicamentum actionis est prædicamentum accidentale physicum in multorum sententia, qui asserunt omnem actionem esse verum, & reale physicum accidens, & ad minus est accidentale Metaphysicum; inter prædicamenta enim solum primum est substantia; reliqua autem ex quibus vnum est prædicamentum actionis, dicuntur prædicamenta accidentalia; ratio autem evidens est, quia id vocatur Metaphysice accidens, quod non est de essentia subiecti, licet identificetur cum illo vel sit prædicatum substantiale à parte rei, & ideo licet relatio, & duratio identificetur cum substantia Metaphysice vocantur prædicamenta accidentis, quia non constituunt primario, & per se, nec sunt de essentia rei, sed actio non est de essentia agentis; actio enim supponit causam efficientem iam constitutam in suo esse essentiali, acceditque ad ipsam, supponendo essentiam illius; imo potest abesse & adesse agenti præter ipsius corruptionem: ergo est accidens prædicamentale seu metaphysicum. Hanc veritatem hac demonstratione probatam Cicero libro 1. *Tusculanar. quest.* ut verissimam omnibus Philosophis ac Dialecticis proponit; ibi enim auditorem aut discipulum dialogo quodam eloquentissimo cogit conuincere fateri, de nullo posse verificari prædicatum accidentale, nisi illud existat & actu sit; probat enim nullum mortuum posse cum veritate dici miserum, quia miseria, ex eo quod accidens sit, necessatio supponat existentiam & esse, quo sine dubio conuincitur etiam omne & quodcumque prædicatum accidentale, quale est operari & agere debere, supponere existentiam subiecti cui conuenit; verba enim Ciceronis sic se habent: Si ergo (inquit) apud inferos miseri non sunt, nec sunt quidem apud inferos ulli, A, ita prorsus existimo, M, ubi ergo sunt illi quos miseros dicis? aut quem locum incolunt? si enim sunt nusquam, esse non possunt. A, ego vero nusquam esse illos puto M. Igitur nec esse quidem. A, prorsus isto modo, & tamen miseros ob id ipsum quidem quia nullibi sunt M, iam malint Cerberum metuere quam ista tam inconsiderate dicere, A, qui tandem? M, quem esse negas eundem esse dicis. Vbi est acumen tuum? cum enim miserrum esse dicis, tum eum, qui non sit dicis esse, A, non sum ita hebes, ut ista dicam, M, quid dicis igitur? A, miserum esse verbi causa Marcum Cragium, qui illas fortunas morte dimisit miserum, qui tanta gloria sit orbatus, Gneium Pompeium, qui tanta gloria sit orbatus, omnes denique miseros, qui hac luce careant, M, eodem reuolueris, sint enim oportet si miseri sunt, eodem modo negabas eos esse qui mortui essent, si igitur non sunt, nihil possunt esse, ita nec miseri

miseri quidem sunt A. non dico fortasse etiam quod sentio, nam istud ipsum non esse cum fueris miserum puta, M, quid miserius quam omnino nunquam fuisse: ita qui nondum nati sunt, quia non sunt miseri iam sunt, & nos ipsi si post mortem miseri futuri sumus, miseri fuimus antequam nati, ego autem non commemini antequam sum natus me miserum fuisse, tu si meliori memoria es velim scire ecquid de te recordere. A, ita iocaris, quasi ego dicam eos esse miseros, qui nati non sunt & non eos miseros qui mortui sunt, M, esse: ergo eos dicis, A. imo quia non sunt cum fuerint eos miseros esse voco. M, pugnancia te loqui non vides? quid enim tam pugnat quam non modo Misericordiam, sed omnino quicquam esse qui non sit A, quoniam me verbo praemis post hac non ita dicam miseros esse, sed tantum miseros ob id ipsum, quia non sunt M. non dicis igitur misere esse Marcus Crassus sed tantum miser Marcus Crassus, A, ita plane. M, quasi non necesse sit quidquid isto modo pronuncies id aut esse aut non esse, an tu dialecticis imbutus quidem es in primis enim hoc traditur omne pronunciatum quid: ergo est pronunciatum quod aut verum aut falsum esse dicitur, cum igitur dicis miser Marcus Crassus aut hoc dicis miser est Marcus Crassus, ut possit iudicari verum id falsum ne sit aut nihil dicis omnino. A, age iam concedo non esse miseros qui mortui sunt, quoniam extorsisti ut faterer qui omnino non essent eos ne miseros quidem esse posse: sic Cicero, cuius verba adduxi, non propter illius auctoritatem, nec ut illa meam conclusionem firmarent; sed propter acumen ingenij quo convinxit nostram veritatem fateri, & propter vim rationis qua demonstrat nostrum intentum sola mutata materia.

48 Confirmatur amplius, quia in instanti initiatio antequam res existat non potest physice causare: ergo neque in vltimo terminatio postquam extitit etiam non est. Patet consequentia quia sicut vltimum instans est terminus durationis praecedentis similiter & primum, quia tota duratio causae clauditur duobus illis instantibus; item causam extitisse est extrinseca denominatio in illo instanti. Similiter est in instanti initiatio quia sicut in vno fuit ita & in altero erit, & postquam fuit nullam virtutem reliquit magis quam antequam esset; fuisse enim nihil est actu magis quam fore, & si exemplum sumitur de contiguitate corporum parum refert duo corpora ex hac vel illa parte contiguari: ergo parum etiam refert existentias causae & effectus contiguari vel ex parte iniij vel ex parte finis.

49 Confirmatur, quia vel existentia est conditio necessaria ad operandum vel est ratio formalis operandi: sed res non potest operari sine conditione aut sine ratione formali operandi: ergo non potest sine existentia operari: maior conclusio sequenti probabitur, vbi dicemus existentiam secundum nostram sententiam esse conditionem operandi necessariam maxime intrinsecam respectu causae efficientis, quod sic patet: quia id quod constituit aliquid in esse producentis debet esse ratio propria producentis qualis non est existentia, quia autem ipsa licet non sit propria producentis, est necessaria ut producat non sit pure possibile, sed actualis & actualitas in producente est conditio necessaria ad producendum, dicimus esse seu existere quod est actualitas esse necessarium ad producendum quod sic patet, quia magis intrinseca est existentia realis existenti & producenti actuali-
I. P. Tom. 11.

ter quam apprehensio respectu volentis & quam approximatio localis respectu caloris calefacientis: sed approximatio & apprehensio sunt conditiones necessariae sine quibus producat non potest operari actu: ergo a fortiori sine existentia non poterit actu producere agens. Maior illa est evidens, quia existentia est ipsum praedicatum entis: sed ens quatenus ens est praedicatum essentiale producentis & praedicatum essentiale est omnium maxime intrinsecum, ac proinde magis intrinsecum quam approximatio respectu caloris, & quam apprehensio respectu volentis: ergo existentia est magis intrinseca respectu producentis quam approximatio & apprehensio.

Vigetur potentia vitalis (sicut neque potentia non vitalis) non potest recipere actum vitalem sine existentia per vos: ergo a fortiori non potest producere actum vitalem sine existentia actuali; consequentia patet, quia in actibus vitalibus essentialior est, ut ita dicam, & perfectior influxus actuum, quam passivus; unde absolute inconsequentes dicendi sunt nonnulli, qui asserunt influxum passivum non posse suppleri in actibus vitalibus, posse tamen influxum actuum. Deinde etiam inconsequentes sunt nonnulli vniuersaliter, dum aiunt accidentia corrupti perire, quia perit forma, a qua sustentantur, & aiunt formam geniti physice effici a talibus accidentibus iam corruptis; rogo ergo cur forma corrupti in eo instanti non valeat causare accidentia, cum haec iam corrupta valeant causare formam geniti, aut sicut ad primum existit actualis existentia, cur non exigetur, & ad secundum.

Secunda conclusio: existentia non est virtus, seu ratio formalis operandi in actu primo, quia solum est conditio sine qua non potest operari agens, haec sententia sic probatur.

Primo ex Aristotele libro secundo, physicorum, 5^o textu 4. vbi ait existentiam, esse id sine quo non operatur agens, quo modo loquendi solet Aristoteles usurpare ad appellandam conditionem agentis, & ideo lib. 4. physicorum, eisdem pene verbis nominat approximationem agentis; atqui approximatio in sententia Aristotelis, & omnium Philosophorum est conditio solum, sine qua non: ergo etiam in sententia ipsius Aristotelis existentia agentis est solum conditio ad operandum, sed vbi clarius loquitur Aristoteles est 2. Metaph. vbi sic ait, ignis igitur, non ut existit, sed quatenus calidus operari solet, existens enim hocque requisitum ad agere necesse est cogitari, sic ille: vbi clarissime ut ait D. Thom. supra hunc locum, Philosophus asserit existentiam non esse rationem formalem operandi, sed conditionem solum 3. etiam Metaph. comparat existentiam agentis, figurae mallei, & certae ad eliciendas operationes artificiales, sed figura in his instrumentis, ut patet ex Aristotele tract. de predicamentis, collocante figuram in praedicamento qualitatibus, non est accidens actuum, nec operatum, sed solum conditio ad operandum: ergo ex ipso Aristotele existentia est conditio ad operandum, & non ratio formalis operatiua, ex D. Thom. etiam patet clarissime, omnibus suae doctrinae locis quibus agit de existentia, vbi illam conditionem ad operandum semper appellat.

Diuis autem Anselmus in Monol. cap. 4. sic ait: 52 Sine virtute ad operandum nullo modo potest oriri operatio, & productio; sine existentia autem operantis non elicitur ipsa productio, quia operatio oritur

oritur tanquam à principio à virtute existentia autem requisitum est ad illam. Quid clarius? ubi, S. Anselmus, ait virtutem operandi esse principium elicitiuum actionis, existentiam vero esse requisitum ad illam: ergo ipse sentit existentiam solum esse conditionem, & non virtutem operandi, alias non distingueret, nec discrimina virtutem operandi ab existentia nominibus principij, & requisiti.

53 Probatur ratione primo hæc conclusio, quia existentia, & essentia actualis principij operatiui, & ut clarius loquar, virtus operatiua, & existentia illius, licet actualiter formaliter à parte rei, non distinguantur, distinguuntur tamen virtualiter à parte rei: ergo bene potest existentia actualis illius virtutis esse conditio necessaria ad operandum, & non ratio formalis operandi in actu primo, licet virtus sit principium operandi formaliter: antecedens sic probatur, quia illæ formalitates, de quibus prædicata contradictoria verificantur, scilicet affirmatiuum, & negatiuum, si habent identitatem formalem inter se à parte rei, ex vi verificationis talium prædicatorum, distinguuntur virtualiter à parte rei, ut latissime demonstratum manet *disputatione de ente ut sic*, ubi probauimus rationem entis ut sic, & differentiam distinguere virtualiter, quo probauimus præcisionem entis ut sic à suis differentiis; sed de virtute operatiua, & existentia illius verificantur prædicata contradictoria, scilicet affirmatiuum, & negatiuum: ergo virtus operatiua, & existentia illius distinguuntur à parte rei; hæc minor sic probatur, quia materia prima existens assimilatur virtuti existenti secundum existentiam realiter, & non assimilatur ipsi virtuti, quatenus virtus operatiua est, & eodem modo se habent respectu virtutis operatiuæ albedo, figura, vnio, & alia huiusmodi, quæ omnia conueniunt à parte rei, cum virtute operatiua in ratione existendi, quia illa omnia entia sunt extra causas, & vere existunt, sicut existit virtus operatiua, verbi gratia intellectus, & tamen non conueniunt secundum rationem operandi Albedo enim, figura, materia prima & relatio, ac vnio non sunt principia operatiua, nec vllam operationem eliciunt, sicut intellectus, voluntas, & alia id genus; vnde hæc prædicata duo, vnio conuenit cum intellectu in ratione existendi, & non conuenit cum intellectu in ratione operandi: ex quibus vnum est negatiuum, & alterum positiuum, verificantur realiter in albedine, respectu virtutis operatiuæ & existentia illius: ergo virtus operatiua quatenus talis, & quatenus est principium elicitiuum operationum, & existentia illius seu esse illius extra causas distinguuntur virtualiter, & verificantur de illis duo prædicata contradictoria, quorum vnum est affirmatiuum, & alterum negatiuum.

54 Consequentia prima & præcipua sic probatur, quia tota ratio, quare in sententia aduersariorum existentia est ratio formalis operandi; est quia non habet distinctionem à parte rei, sed potius identificatur cum virtute operandi, sed licet non distinguantur formaliter à parte rei, distinguuntur tamen virtualiter, & æquivalenter realiter, quæ distinctio sufficit, ut ea quæ prædicarentur de existentia, & virtute operandi si distinguerentur formaliter possint prædicari propter hanc distinctionem virtualem: ergo propter ipsam potest bene prædicari de illis, scilicet de virtute operandi, quod sit principium formale operationis, & de existentia illius quod sit conditio ad operandum:

hæc consequentia sic patet, quia sine dubio, ut ait P. Suarez, si haberent distinctionem à parte rei, hæc duæ formalitates ut habent distinctionem rationis, sicut per rationem propter illam distinctionem de existentia dicitur quod sit conditio de virtute quod sit principium formale operandi, ita similiter à parte rei de existentia prædicaretur quod sit conditio, & de virtute verificaretur, quod sit principium formale operandi, sed ut probatum iam manet, inter illas duas formalitates datur distinctio à parte rei virtualis, quæ æqualeat formaliter: ergo propter illam distinctionem verificabitur à parte rei de existentia, quod sit conditio ad operandum, & non ratio formalis operandi, & de virtute quod sit principium operationis; minor illa sic probatur, quia intellectus diuinus, & voluntas diuina non distinguuntur formaliter à parte rei, sed solum virtualiter & propter talem distinctionem virtualem prædicantur de intellectu, & voluntate diuinis prædicata, quæ prædicarentur, propter distinctionem formalem à parte rei de eisdem, verbi gratia, de intellectu diuino prædicatur quod producat, ut quo Verbum connotando relationem paternitatis in Patre, & non producat à parte rei Spiritum sanctum; de voluntate vero diuina prædicatur è contra, quod non producat à parte rei Verbum ut quo, sed Spiritum sanctum: ergo iam distinctio virtualis est sufficiens ut verificentur de aliquibus formalitatibus prædicata quædam ita opposita ut in aliis ad sui veritatem requirant necessario distinctionem formalem à parte rei. Vnde ad huiusmodi verificationem, & prædicationem, distinctio virtualis à parte rei sufficit sine formali, quia illa huic æqualeat.

Confirmatur tota hæc nostra ratio: quia licet detur identitas formalis à parte rei inter aliquas formalitates, potest esse vna conditio sine qua non ad producendum; & altera ratio formalis producendi in sententia aduersariorum: ergo non est firma ratio illorum ad asserendum formalem producendi ex eo solum quod existentia identificatur à parte rei formaliter cum virtute operandi. Patet hæc consequentia, quia si per vos, ideo solum existentia non est conditio, sed ratio formalis producendi, quia identificatur cum virtute operandi; & ex alio capite per vos etiam in aliquibus formalitatibus potest dari ratio identificationis, quæ non tollat ut vna ex illis sit conditio, & altera ratio formalis producendi. Ergo ratio vestra non est firma, neque causalis talis vera; quia vniuersalis, cui æqualeat, verbi gratia, omne quod identificatur cum ratione formali producendi, non est conditio, sed ratio formalis, est falsa, ut patet ex nuper dictis in probatione antecedentis.

Antecedens, in quo est tota difficultas, sic probatur. Quia relatio diuina paternitatis identificatur realiter, & formaliter cum intellectu, & voluntate diuinis, & cum omnipotentia; & nihilominus per vos intellectus, & voluntas sunt virtutes formales seu rationes producendi ad intra, & omnipotentia est ratio formalis producendi ad extra. Et relatio non est ratio, seu virtus producendi, sed solum conditio sine qua non; ergo licet detur identitas formalis inter duas formalitates à parte rei, bene poterit vna esse conditio producendi, & alia ratio formalis, propter solum distinctionem virtualem æqualem distinctioni formali.

Secundo principaliter sic argumentor. Quia illud prædicatum, quod est commune operatiui, &

& non operatiuis, non potest esse ratio formalis operandi; quando existit in operatiuis; sed existentia est prædicatum commune; & ita commune, ut sit vniuocum operatiuis, & non operatiuis: ergo dum in operatiuis datur existentia, non potest esse ratio formalis operandi in illis. Minor sic probatur: quia ideo substantia non est ratio formalis operandi in operatiuis, quia est prædicatum commune operatiuis, & non operatiuis. Item quantitas, quæ reperitur in igne, & in homine, non est ratio formalis operandi in illis, quæ sunt principia operatiua, quia est communis rebus operatiuis, & non operatiuis. Ratio autem à priori est, quia quando aliqua est ratio formalis operandi, vbi cumque est, constituit principium in esse formaliter operatiui; & ex alio capite, illa ratio, quæ est communis operatiuis, & non operatiuis, reperitur in non operatiuis sine eo quod constituat talia entia non operatiua in esse operatiuorum; alias non dicerentur non operatiua, sed potius operatiua: ergo prædicatum commune operatiuis, & non operatiuis non potest esse ratio formalis operandi dum existit in operatiuis, quia si dum existit in operatiuis, esset ratio formaliter operandi secundum se, & ex sua essentia esset talis; quia forma non aduenit sua essentia, & ratio formalis à subiectis, nec emendicat illam ab ipsis, sed potius forma constituit subiectum, in quo est, & tribuit illi rationem formalem, quam in se continet. Vnde ex se habent omnes forme suam rationem formalem; sed quæcumque forma, quæ ex se est talis, & essentialiter habet suam rationem formalem, potest communicare illam cuiuscumque subiecto; in quo connaturaliter est, sicut quia albedo ex se talis est, quodcumque subiectum, in quo existit, siue sit homo, siue, leo, siue arbor, constituit in esse albi & disgregatiui visus. Vnde si datur aliqua forma connaturaliter in aliquo subiecto, & illud constituit in esse formali talis forme, evidens est talem formam non habere illam rationem formalem, verbi gratia, quia albedo existit in equo connaturaliter, & non constituit illum in esse intelligentis, euidenter colligitur albedinem non esse intellectum, nec rationem formalem intelligendi, ac per consequens, neque dum existit in principio intellectiuo, ut est homo esse rationem formalem intelligendi; è contra vero intellectum in homine existentem esse rationem formalem intelligendi, quia in quocumque subiecto existat, constituit illud intelligens, quare siue Deus sit, siue Angelus, siue homo, siue anima rationalis separata, quæ tam magnam diuersitatem inter se habent, constituuntur in esse intelligentium per intellectum. Minor prima & præcipua, sic probatur, quia existentia aut est ratio formalis entis, aut sequitur ipsum ens, tanquam attributum illius. Primum supra probauimus, secundum asserunt multi ex aduersariis: sed ens, & id, quod sequitur ad ens est commune vniuocum operatiuis, & non operatiuis: ergo existentia est prædicatum commune operatiuis, & non operatiuis.

Confirmatur, ideo veritas, bonitas, & vnitas non sunt rationes formales operandi, quia sunt prædicata communia vniuoca operatiuis, & non operatiuis, sequuntur enim rationem entis quæ est ratio communis vniuoca respectu operatiuorum, & non operatiuis, sed existentia est ratio communis operatiuis, & non operatiuis: ergo non est ratio operandi, & è contra in homine intellectus, & voluntas sunt rationes formales operandi, quia sequuntur gradum, seu prædicatum, quod est

I. P. Tom. II.

principium operandi: ergo quando aliqua formalitas, seu proprietas sequitur aliquod prædicatum, quod de se non est operatiuum, non potest esse ratio formalis operandi; cum ergo existentia, aut sit ipsa essentia, aut actus essentia conuertibilis cum ipsa, debet esse ita communis ut essentia; sed essentia ut sic est communis operatiuis, & non operatiuis: ergo existentia etiam est communis illis: ergo non est ratio formalis, &c.

Confirmatur, quia existentia actualis quatenus existentia solum respicit omnipotentiam, à qua producat, & non respicit aliquam operationem correspondentem illi: ergo non est ratio formalis operandi. Patet consequentia, quia quando aliqua ratio est ratio formalis operandi de se ut distinguitur à quacunque alia siue formaliter à parte rei, siue virtualiter solum respicit operationem sibi proportionatam, cuius sit principium, verbi gratia, intellectus, ut distinguitur à voluntate potentia viuua, auditua & cæteris potentiis respicit intellectionem, ut propriam operationem sibi proportionatam, cuius sit principium, & gradus ratiocinandi, ut distinguitur à gradu animalis viuientis, &c. virtualiter à parte rei respicit ratiocinationem tanquam propriam operationem, sibi correspondentem, ut principio elicitiuo illius, quæ operatio distinguitur ab omnibus aliis operationibus elicitis à cæteris gradibus, & in diuinis licet intellectus, & voluntas, iustitia, misericordia, & omnipotentia non distinguantur formaliter à parte rei, nihilominus quatenus distinguuntur virtualiter, respiciunt proprias productiones siue ad intra, siue ad extra sibi proportionatas, tanquam principis illarum, & hoc non propter aliam rationem nisi solum, quia quatenus distinguuntur virtualiter, sunt rationes formales operandi: ergo quando aliqua ratio de se est ratio formalis operandi de se ut distinguitur à quacunque alia, siue formaliter à parte rei, siue virtualiter, solum respicit operationem sibi proportionatam: sed existentia, quatenus distinguitur virtualiter ab essentia non respicit aliquam operationem correspondentem sibi tanquam principio elicitiuo illius: ergo non est ratio formalis operandi, primum antecedens quoad primam partem in qua est difficultas sic probatur, quia verbi gratia in Angelo, solum datur triplex operatio, prima est intellectio, & hæc non correspondet existentia, sed intellectui, tanquam principio elicitiuo illius, secunda est volitio, & hæc correspondet potius voluntati, quam existentia; alia datur, quæ est motus localis, & hæc correspondet gradui viuientis & potentia motiua; vnde non existentia, & idem est in homine vbi intellectio, volitio, & omnis sensatio, risus, & cætera operationes correspondent visibilitati, sensibus, intellectui, & voluntati, & ex gradibus viuientis, animalis, & rationalitatis, & minime existentia quatenus existentia est, imo si existentia, ut existentia est, corresponderet aliqua operatio, gradui entis ut sic, vel essentia ut sic corresponderet illa, ac proinde gradus entis ut sic esset operatiuis; vnde in omni subiecto vbi est gradus entis ut sic, & existentia daretur ratio operandi, quod est falsum, cum multa entia actu existentia, ut materia prima, non sint operatiua: ergo nulla est operatio, quæ correspondeat existentia, & quam respiciat illa, ut principium elicitiuum talis operationis.

SECTIO ULTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

58 AD primum Argumentum nego antecedens, ut patet ex dictis, *precedenti, questione*; ad probationem illius concedo essentiam antequam existat habere suam veritatem essentialem, sed non esse illam, quam aduersarij asserunt, quia non est verum dicere ab aeterno, homo actu essentialiter est animal rationale; solum vere dicitur, homo ab aeterno est animal rationale; unde illa particula actu non debet poni, si verificanda sit propositio, ex hac autem propositione, quam nos concedimus ablata particula actu, solum sequitur dari ab aeterno possibilitatem sine existentia, quæ solet dici non repugnantia ad existendum, & ratione huius dicitur ab aeterno homo est animal rationale, cuius sensus est, non repugnat hominem produci animal rationale, aut existere tale aliter, ut Pater Suarez asserit, si homo producendus est, necessario produceretur, ut animal rationale, & in hoc solo sensu verificantur propositiones æternæ veritatis, quare falsum est dicere, quod aduersarij asserunt actu est animal rationale, alias actu ab aeterno esset homo cum solum fuerit impotentia, quod est aperte contra sacram Scripturam dicentem: *in principio creauit Deus cælum, & terram.*

Ad secundum Argum. respondeo Sacramenta conferre gratiam in instanti, in quo non extrinsece, sed intrinsece perficiuntur ac consummantur, quamquam enim sacramenta extrinsece fieri incipiant per vltimum non esse ablutionis, vel prolationis verborum, &c. consummantur tamen in vno instanti in quo fit aliquid indiuisibile positium, & reale, quo intrinsece complentur Sacramenta, & in eodem instanti gratia confertur: singula sic explico, primum quidem ex Philosophia constat, dari in omni motu successiuo, quando peruenitur ad terminum eius, aliquam mutationem instantaneam, qua consummatur terminus illius motus, quia per illam mutationem acquiritur in illo instanti aliquid indiuisibile, quod in toto anteriori tempore non erat acquisitum, ut verbi gratia, in intentione acquiritur terminus caloris ut duo, vel tria, & sic de aliis, & ideo licet illud instans dicatur primum non esse motus quatenus ens successiuum est, tamen est primum esse termini consummati, & perfecti, & ideo vocatur vltimum mutatum esse motus, quocirca idem videre licet, in materiis, & formis Sacramentorum; nam materiæ illæ, quæ consistunt in vsu per motum localem, vel contactum aliquem perficiuntur ut ablutio, vel vinctio, intelligi autem potest contactum sufficientem perfici, aut fieri in aliquo instanti terminante motum præcedentem, quia terminus licet extrinsecus sit motui præcedenti, est tamen intrinsecus contactui, qui aliquid reale est & intrinsecum Sacramento. Similiter forma Sacramenti est oratio aliqua quatenus reddit integrum, & perfectum sensum, qui sensus in aliquo instanti intrinsece consummatur per aliquem sonum, qui in eo instanti additur, & realiter existit, tanquam realis terminus soni præcedentis, cuius signum est, quia in eo instanti, ita consummatur oratio, ut in eo multiplicentur seu efficiantur species in auditu: ergo durat in illo instanti aliquid rei pertinens ad complementum verborum, seu orationis.

Secundo hoc declaratur, quia necesse est signare aliquod instans, in quo fit verum dicere Sacramentum esse, quia inconueniens videtur rem aliquam realiter fieri, & nunquam de illa affirmari posse, quod existat; Sacramentum autem realiter fit, & quandiu fit, si aliquid illius superest faciendum, nondum existere dicitur, quia nondum tota eius essentia facta est in quo differt à motu, & tempore, & huiusmodi entibus successiuis, quæ tunc existere dicuntur, quando aliquid eorum factum est, & aliquid superest faciendum: ergo oportet ut Sacramentum dicatur esse saltem in illo instanti in quo perficitur, quanquam post illud instans ultra futurum non sit Sacramentum, neque aliquid illius restet efficiendum, quia in eo instanti perficitur, & consummatur tota significatio Sacramenti: ergo necesse est, ut in eo instanti fiat, & sit aliquid intrinsecum Sacramenti, quia si nihil illius esset, nulla ratione dici posset tunc existere Sacramentum.

Dices, si tunc existit Sacramentum cum antea non esset: ergo tunc incipit esse Sacramentum; ergo incipit per primum sui esse: ergo non est ens successiuum, nam repugnat entia successiuæ fieri per primum sui esse, nam quod ita fit totum simul fit; unde etiam sequitur, quod ante illud instans Sacramentum non fiebat, rursus immediate post illud instans, non erit Sacramentum, ut dictum est: ergo si tunc est Sacramentum definit esse per vltimum sui esse, quod etiam repugnat rebus successiuis, ut constat ex communi sententia Philosophorum, propter hæc aliqui renuunt concedere in illo instanti Sacramentum existere, etiam si aliquis realis terminus existat, qui cum sit indiuisibilis, & ideo sufficiat, ut in eo instanti fiat gratia actione indiuisibili, non tamen sufficit, ut dicatur existere Sacramentum, quia nihil illius faciendum superest, sicut etiam quamvis in termino motus aliqua mutatio indiuisibilis superaddatur, toti motui præcedenti, non tamen dicitur in eo instanti esse motus quia nihil amplius superest faciendum, & hæc est natura entis successiuæ, ut tantum esse dicatur quando aliquid eius factum est, & aliquid faciendum superest; verius tamen est quod asseruimus, quia non oportet ut in omnibus Sacramentum imitetur entia successiuæ; nam sicut in hoc non seruat similitudinem cum illis, quod illa dicuntur esse dum fiunt, & aliquid ex eis superest faciendum; Sacramentum autem minime, ita est contrario non oportet ut in eo seruet similitudinem, quia sicut illa non sunt in suo termino, ita etiam Sacramentum tunc non fit quin potius, quia in illo est dissimile, debet etiam esse in hoc, quia oportet ut in aliquo instanti dicatur iam existere; cum ergo hoc non verificetur in intermedii instantibus, debet saltem verificari in illo instanti in quo Sacramentum perficitur, & consummatur, nam ex his differentis inter Sacramentum & alia entia successiuæ colligimus Sacramentum requirere quidem successionem, non tamen in sola illa consistere, sed in ea ut intrinsece terminata, vsque ad tale instans, in quo est intrinsece perficitur, aut sensus verborum, aut contactus ex parte materiæ necessarius: aut denique tota significatio Sacramenti erit: ergo Sacramentum signum quoddam, quod successiuè intrinsecè terminatur, in quo termino habet perfectam significationem suam, & ideo in eo esse dicitur, quia signum tunc est quando, significat, atque huius

Quæst. Vlt. Vtrum essentia disting. &c. 53

huius rei exemplum esse potest oratio, vel propositio, quæ ante instans in quo consumatur, sensus eius non potest dici esse, quia nondum significat verum, vel falsum, in illo vero instanti proprie dicitur esse, quia tunc habet veram significationem, obiectioni autem sic respondeo; in illo instanti incipere esse, Sacramentum per primum sui esse in esse perfecto, quamvis secundum esse imperfectum antea fiat, sicut calor ut octo incipit esse per primum sui esse, quia tunc terminatur, & perficitur, licet ante fieret quoad latitudinem caloris per alterationem successivam: unde quod ita incipit per primum sui esse, non oportet, ut simul incipiat, sed quod in instanti absoluitur, ac terminetur, neque oportet ut diximus in hoc esse simile Sacramentum aliis entibus successivis, quæ non requirunt determinatam perfectionem, & veluti intrinsecam consummationem, sed solum successionem, atque idem respondendum est ad alteram partem de definitione Sacramenti, concedo enim illud idem instans, quod est primum esse Sacramenti perfecti, esse ultimum esse Sacramenti, quod nullum est inconueniens.

61 Dices si Sacramentum in solo ultimo instanti confert gratiam: ergo non totum Sacramentum facit illam: sed solum aliquid indiuisibile Sacramenti, quod in illo ultimo instanti requiri existit.

Respondeo simpliciter negando consequentiam, quia licet Sacramentum solum efficiat per illum ultimum terminum suum, tamen simpliciter totum Sacramentum confert effectum, quia ille terminus non efficit nisi in virtute, seu ratione totius formæ; item quia quod fit per partem, vel per aliquid, quatenus est complementum alterius simpliciter, fit ab ipso toto, sicut homo videre dicitur licet non per omnes sui partes, sed per oculum tantum videat, & peccare dicitur totus homo; licet tantum per potentiam peccet, & globus perfectus tangit planum, & impellit illud, quamvis solum per indiuisibile tangat, & impetum imprimat, adde, quod in Sacramento, licet in ratione mutationis, seu successionis illud per quod fit actio sit quid indiuisibile, tamen considerando rem ipsam semper est res aliqua diuisibilis, ut aqua sonus, vel similia; in forma autem respondeo principali argumento concedendo maiorem & distinguendo minorem, non actu existunt secundum esse imperfectum concedo, secundum esse perfectum nego, ad probationem illius eodem modo responderetur, & similiter ad alteram probationem, ut patet ex dictis.

62 Ad tertium de dispositionibus patet ex supra dictis in probatione nostræ conclusionis, non loqui consequenter Authores earum duarum opinionum, & ad vnam sententiam in intelligibilem in Philosophia adducitur alia non magis probanda, in qua eadem est omnino difficultas.

63 Ad primum Argumentum secundæ sententiæ concedo materiam non causare, nisi per entitatem actuale suæ essentia, cum hac tamen distinctione, ut essentia sit ratio formalis causandi actualitas, seu existentia conditio intrinseca ad causandum, & recipiendum; quia licet essentia, & existentia non distinguantur formaliter a parte rei, distinguuntur tamen virtualiter realiter, quæ distinctio sufficit ad hoc, ut existentia sit conditio, & ratio formalis, essentia.

64 Ad confirmationem respondemus admitendo maiorem eadem distinctione, ita ut ratio talis entis sit ratio formalis operandi, & actualitas conditio.

65 Ad confirmationem ultimam concedo maiorem, & minorem, & distinguo primum consequens: ergo

etiam ipsa causat ut existens: ita ut existentia sit conditio concedo, & ipsa virtus causæ ratio formalis, ita ut existentia sit ratio formalis operandi nego.

DISPUTATIO XV.

DE NOMINIBVS, NATVRA, & proprietatibus Subsistentiæ, & Suppositualitatis.

QVÆSTIO PRIMA.

De significatione nominis Subsistentiæ, & Suppositualitatis.

SUBSISTENTIA sunt significationes subsistentiæ, maximæque varietas reperitur inter DD. dum subsistentiæ nomine vtuntur, nam primo Athanasius Arianorum maleus eius significationem nimium videtur extendere, comprehendendo quamcumque entitatem singularem etiam accidentis, quando ait: tres subsistentiæ orbis solatis, radius & lux, insuper tres subsistentiæ subiectum ignis, & vrens, & lucens, quod latissime prosequitur *rom. 2. in 99.* quarum prima est quid est Deus, quæst. 4. nisi velis, ut ait, P. Ruiz exponere vnum, & idem corpus esse triplex suppositum sola ratione distinctum, quatenus in eo recipiuntur tria accidentia, siue realiter, siue ratione distincta: Verumtamen hæc acceptio subsistentiæ nunquam à Theologis vsurpatur, non solum quia peregrina, & inaudita est, sed potissimum, quoniam Athanasius ibi non veram, & existentem similitudinem Trinitatis, sed distantissimam illius vmbra conatur ostendere.

Secundo sumitur apud PP. Græcos, subsistere 2 pro consistere, & subsistentia pro consistentia, nam Greg. Nicenus *Oratione cathegetica, cap. 1. ad finem*, Dei Verbum, inquit, eo quidem quod per se consistit, distinctum est, ac diuisum ab illo ex quo habet, quod consistit, similiter loquitur in *cap. 4. sub initio, & lib. de Trin. & Adventu Domini contra Iudeos, non procul à principio.* Subsistentiæ nomen pro consistentia sumit: idem Nicenus, *oratione Cathegetica, cap. 3. sub initio*, & Iustinus, *quæst. 17. ad Orthodoxos*, sed hæc acceptio eodem modo ampla videretur, ac prima, quia consistentia non solum subsistentiis, sed etiam accidentibus conuenit.

Tertio, significat subsistentia apud Aristotelem 3 ipsum actum existendi, quamvis apud antiquos Latinos, vix, aut nunquam in hac significatione reperiatur, sed in hac significatione Athanasius & Nicenus vtuntur verbo subsistenti, ad significandum, Deum existere non ab alio, sed à seipso, atque immutabiliter, ut constat ex ipso contextu Niceni, qui est optimus commentarius illius verbi; posset etiam aliquem mouere quod Gregorius Nicenus, *oratione Cathegetica, sub initio*, ait, Verbum, & Spiritus Dei essentialiter existunt, subsistunt, & consistunt; hæc autem significatio maxime communis est ad denotandas substantias, quæ non educuntur de potentia materiæ, sicut enim subsistere secundum locum dicitur terra propria virtute existens